

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3677

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Fécamp, La Trinité (abbaye, abbé)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1267, décembre

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

En vidimant la charte de Philippe [II], roi de France, par laquelle le roi concède à l'abbaye de Fécamp le droit de justice de sang (placitum spate), Louis [IX], roi de France, leur concède le droit de tenir toutes les enquêtes, inquisitions et procédures d'enquête (recognitiones) à leur cour sur tout ce qu'il arrive sur leurs terres et dépendances, excepté les procédures d'enquête (recognitiones) que le roi se réserve.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 725, p. 161.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras inclite recordacionis regis Philippi, avi nostri, vidimus in hec verba :

In nomine sancte et individue Trinitatis, Amen. Philippus, Dei grati, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos, pro salute anime nostre et antecessorum nostrorum, dilecto et fideli nostro Radulpho abbati Fiscannensi et monachis Fiscannensibus in perpetuum concedimus placitum spate tocius terre sue, quam tenebant illo die quo presens carta facta fuit, in domania et in feodo quatuordecim militum et vavassoriis, ut teneant illud in curia sua, et quod ibi super hoc terminaverint ad usum et consuetudines Normannie certum habeat finem, et stabilitatem omnimodam sorciatur. Si autem deficerent de justicia super hoc facienda, de defectu illo ad iudicium curie gallicane se continerent et emendarent. Remanent autem nobis usurarii, recognitiones et judei, ita quod littere vel carte alique aliudve instrumentum, si quid postmodum profferrent super hoc contra nos abbas sive monachi Fiscannenses vel alius pro ipsis, eis de cetero contra nos non valerent. Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato, salvo focagio nostro et salvo servitio decem militum quod terra abbatis nobis debet, presentem paginam fecimus confirmari. Actum apud Pontem Arche, anno ab incarnatione Domini M° CC° undecimo, regni nostri anno tricesimo secundo. Astantibus in palatio nostro, quorum nomina subposita sunt et signa : Dapifero nullo ; signum Guidonis Buticularii ; signum Bartholomei Camerarii ; signum Droconis Constabularii. Data, vacante cancellaria.

Cum igitur, ob istud vocabulum recognitiones supra positum inter nos et abbatem et monachos Fiscannenses dissensio mota esset, quia nos dicebamus omnes inquestas, inquisitiones, recognitiones per hujusmodi vocabulum ad nos pertinere debere, ipsis in contrarium asserentibus, et dicentibus ad ipsos omnes recognitiones, inquestas et inquisitiones quocumque nomine censeantur pertinere debere, exceptis recognitionibus que per breviam fiebant,

nos auditis rationibus dictorum abbatis et monachorum Fiscannensium, volumus et concedimus quod ipsi in pace habeant et teneant in curia sua omnes inquestas, inquisitiones et recognitiones de omnibus rebus que in terris suis et locis sibi subjectis evenient, exceptis solummodo recognitionibus que per brevia hactenus usitata in Normannia fient, quas nobis retinemus. Volumus insuper et concedimus quod in casibus nobis retentis justicie et citationes que per servientem nostrum fuerint faciende, fiant vocato et presente una secum serviente abbatis et monachorum predictorum, si eum inveniri contingat in villa ubi justicie et citationes hujusmodi fuerint faciende, et vocatus voluerit interesse. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini M° CC° LX° septimo, mense decembris.